



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Apostatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

Præterea schismatici excommunicantur & damnantur; *c. de Liguribus. 23. qu. 5.* gradu & dignitate Ecclesiasticâ, si habent, dejiciuntur; *c. 40. subdiaconus quondam. & c. qui contra. 24. qu. 1.* si sunt Laïci, & nobiles, aut Principes, nobilitate privantur, Principibus secularibus, corporaliter puniendi, traduntur. *d. c. qui contra. & d. c. de Liguribus. & c. denique. 7. qu. 1. c. non vos. 2. qu. 1.*

Quibus pœnis, & schismaticorum defensores & fautores puniuntur. *c. didicimus. 24. qu. 1.*

### De Apostatis.

#### TIT. IX.

**A**postata sunt, qui à statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt.

Apostasiæ enim tres sunt species; *perfidia, inobedientia, irregularitatis. c. 1. ubi Gloss. hic.*

*Perfidia Apostasia est;* cum qui Christianam religionem ejusque verum cultum deserunt, *c. non potest. 2. qu. 7.* & ad Judaicos aliosve detestabiles ritus deflectunt.

Hi eisdem pœnis, quibus hæretici, plectuntur. *c. 1. hic. d. c. non potest. c. infames. 6. qu. 1. c. celebritatem. dist. 4.*

*Apostasia inobedientia est;* cum qui præcepta superioris transgrediuntur; vel sacris statutis & canonibus non obediunt; *c. alieni. 3. qu. 4. c. si quis. de major. & obed. quibus tamen obediendum credunt. c. nulli. dist. 10.*

Hi fiunt infames, accusare, vel testimonium dicere prohibentur, excommunicantur, deponuntur, & quandoque degradati Judici seculari traduntur. *c. si quis à suo. 3. qu. 4. c. si autem vobis. 10. q. 3.*

*Irregularitatis Apostasia est;* cum qui ab ordine assumptæ religionis recedunt. *c. fin. hic. c. ex parte. de temp. ord. c. fin. dist. 50. c. quantum. dist. 47. c. beatus. 3. qu. 4.*

Hi, apostasiâ durante, ipso jure fiunt infames; ab accusatione & testimonio repelluntur; *c. alieni. 2. qu. 7. c. beatus. 3. qu. 4.* à dignitatibus removentur; *c. legi. 16. qu. 1.*

si admoniti, se non corrigunt, deponuntur; privilegiis Clericis concessis privantur; *c. sine ornatu. 22. qu. 4. c. sin autem. 11. qu. 3. c. 1. hic.* scdo carceri, donec, suos pertæsi errores, ad saniores mores, à quibus tam obstinatis animis declinarunt, revertantur, includuntur. *Abb. in d. c. 1. c. pen. hic.*

### De Anabaptistis.

#### T I T. X.

**A**nabaptistæ sunt, qui sacrum baptismum iterant. *Clem. 1. §. ult. de sum. Trinit.*

Hi, si Clerici, deponuntur: *c. eos quos. dist. 4.* si Laici, excommunicantur, nec ad ordines admittuntur. *c. qui aliquo. dist. 51. c. qui in qualibet. 1. qu. 7. c. 2. de apost.*

Rebaptizati, ignoranter; ad ordines, nisi maximâ necessitate urgente, admitti non possunt: scienter; per septem annos pœnitere debent: per tres, qui pro munditia se rebaptizari petiverunt: *c. qui bis. 17. de consecr. dist. 4.* Episcopis, Presbyteris, Diaconis sponte vel coactè rebaptizatis, perpetua pœnitentia imponitur. *c. eos quos Episcopos. 18. ead. dist. 4.*

### De Parricidio.

#### T I T. XI.

**S**equitur de homicidio. quod est vel *parricidium*; de quo hoc titulo: vel *homicidium*; de quo titulo proximum sequente.

*Parricidium* est, quando occiduntur parentes vel filii, vel aliæ personæ sanguine conjunctæ.

Illud committentes, parricidæ dicuntur: Qui tamen propriè sunt illi qui parentes aut liberos occiderunt: de quibus, & eorum pœna legibus statuta, vide Aphorismos nostros in Digesto. Nos tantum hic tractamus de his, qui liberos occiderunt, & eorum pœna, hoc jure statuta.

Qui